Hs. 35

1197 obitus sui. Causam suscepti ducatus loco suo plenius diximus hoc modo subiungentes, quod magnum honorem non absque magno animę suę detrimento tenere potuit, quia qui prius didicerat bonus esse bonis, dux factus cogebatur malus esse malis et non toleratę, sed ferire malos. Qui cum adhuc egrotaret, dux Premyzl eius comperta infirmitate temptat cum suis irrumpere Pragam, sed conatus eius fuit inutilis, quia primates, qui erant cum episcopo, aciem ex adverso direxerunt et multis hinc inde cadentibus eum et suos in fugam convertit. Porro episcopus quamvis in morte positus triumphasset, veritus tamen dubios eventus fecit se transferri in Egram tamquam habiturus ibi meliorem requiem, ubi non post multos dies morbo ingravescente ad extrema pervenit factaque confessione cum multis lacrimis sumptisque redemptionis nostrę muneribus nec non et sacri olei liquore perunctus multis coram astantibus flentibus et orantibus dormivit cum patribus suis, sicut supra dictum est, XVII^a ~~kt~~ Kal. Julii. Cuius corpus Doczan est deportatum et iuxta matrem suam officiosissime sepultum. Sic cecidit aureus flos Boemię, munimentum populi, decus cleri, religiosorum virorum propugnator eximius, cui post beatum Adalbertum[x] nullus extitit in ista terra secundus. Cuius anima requiescat in pace. Amen.

Dos 2. r Koos. P

redemptionis, dempt Koos. P

sic Dr nach 1 Dusk. rodinst P

cf. Deut. 31, 16

~~1) Dr. fl. Adalbert v. Prag.~~